Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 781
Quelle:
Copyright:

CCCLVI.

R. 3042 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 168. f. per duas columnas commode ſcriptus, rubricis diſtinctus, et prius *Monaſterij S. Dorothee virginis et martiris Wienne canonicorum regularium*, hoc Rubrum praefert: *Liber aurelij Auguſtini de Cognicione vere vite per modum dialogi.* Et quidem hic inter *Auguſtinum* et *Fratres;* alias vero inter *Magiſtrum* et *Diſcipulos;* rectius ſane, nam *Honorii Auguſtodun.* Libellus eſt, ut bene docent *Mauriani* T. VI. *Opp. Auguſt.* in *Monito* praevio *Append. col.* 168. Init: *Sapientia Dei que os mutum aperuit* &c.

Fol. 11. ſuccedunt: *Sermones beati Bernhardi ſuper librum qui per excellentiam dicitur Cantica canticorum.* Hi Sermones, quorum initium: *Vobis fratres alia quam alijs de ſeculo* &c. ſaepius jam a nobis indicati hoc Exemplo LXXXII. ſunt, ita ut ex editis T. IV. *Opp. omn. Maur. col.* 1267. deficiant quatuor, videlicet 70. 84. 85. 86. Textus ſatis caſtigatus.

CCCLVII.

U. 276 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 151. f. charactere luculento a variis, partim per duas columnas, partim lineis longis exaratus, rubricis diſtinctus, et quondam *Joh. Fabri* Ep. *Vindob.* varia complectitur, quae ordine recenſebimus. I. quidem *Incipit liber exortationis. Beati auguſtini. ad quendam amicum kariſſimum ſibi.* Ita videlicet: *O mi frater. ſi cupias ſcire quamvis ego neſciam* &c. *De ſalutaribus Documentis ad quendam Comitem* inſcriptum reſtituerunt *Mauriani Auguſtini* Editores T. VI. *Append. col.* 193. *Paulino* Ep. *Forojul.* Sec. VIII. Scriptori, et vacillaſſe Librarium noſtrum Rubrica, quam dedimus, partim extrita et refecta indicat. Abrupit ille mox Opuſculum in verbis: *niſi fiat in amore eius uoluntas noſtra. Immo nec hoc* — —. Sed *fol.* 59. ad illud reverſus usque ad *fol.* 81. integrum dedit, in cujus Rubrica nomen *Auguſtini* iterum a ſecunda manu reſcriptum quivis obſervat. Seculo igitur XII. Exemplaria *Paulinum*, aut quemvis alium ab *Auguſtino* praeferentia non defuiſſe videntur.

II. *fol.* 2. *Incipit epiſtola Hincmari. Remenſis archiepiſchopi. ad Karolum Regem. Domino Karulo Regi Glorioſiſſimo hincmarus Nomine. Non Merito Remorum epiſcopus ac plebis dei famulus. mitto uobis ſicut iuſſiſtis epiſtolam beati gregorii ad regaredum regem wiſigothorum* &c. Retuli jam *Vol.* I. P. 2. *col.* 2292. bina Tractatus hujus epiſtolaris *de cavendis Vitiis et Virtutibus exercendis* Exempla ad *Carolum Calvum.* In praeſenti Codice non niſi *Gregorii Epiſtola*, et Peroratio: *Hęc Rex Clariſſime atque cariſſime accepta opportunitate* &c. minio diſtinguuntur, reliqua indiviſa decurrunt, neque notabiliter differunt ab Edit. *Jac. Sirmondi Opp. Hincmari T. Poſter. Pariſ.* 1645. p. 29. f.